



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 193. Scoti ad amplectendum Ecclesiæ Anglicanæ ritum a Jacobo I. Rege coacti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

ribus. Die autem duodecima Octobris Sæc. XVII.
exorto inter Franciscanos & Capucci. A. C. 1617.
nos dissidio declaravit, quod hi in pu-
blicis supplicationibus ubique propriam
Crucem deferre valeant. Die autem
vigesima Novembbris constitutiones Six-
ti V. & Clementis VIII. de non alien-
nandis bonis declarabat. Denique Pon-
tifex die secunda Decembbris ad Indi-
cem librorum prohibitorum rejici juslit
librum, cui titulus: *Deus & Rex, seu
Dialogus, quo demonstratur Jacobum Re-
gem in Regnis suis justissime sibi vendicare,
quicquid in juramento fidelitatis requiritur.*

§. CXCIII.

Scoti ad amplectendum Ecclesiae An- glicanæ ritum a Jacobo I. Rege coacti.

Quo magis Jacobus I. Angliæ Rex su- *Annal. Ja-*
cob. I. Thoi-
prenum, ac Monarchicum impe-
rium sibi vendicare intentus erat, eo *ras Hist.*
ardentius Puritanos, præcipue Scotos *d' Angl. l. 18.*
a sua regiminis norma, quæ Aristó- *Calmet Hist.*
cratiæ accedebat, avertere nitebatur, *Univ. l. 152.*
cumque privatarum Communitatum
Presbyteri, Clerique conventus om-
nem sibi auctoritatem asseruissent, Epi-
scopis præter inane nomen nulla po-
testate reducta, hinc Scotiæ Ecclesiam,
ad Anglicanæ, a qua hæc in aliis etiam

Uu 3 dif-

Sæc. XVII. differebat articulis, normam sensim
A. C. 1617. reducere statuit. Hunc in finem jam
antea ad generalem hujus Regni Sy-
nodum sequentes transmiserat articu-
los Ecclesiæ Canonibus inferendos. I.
Deinceps flexo poplite communio reci-
piatur. II. Eucharistiæ Sacramentum
ad infirmos deferatur, ibique saltem
tres aut quatuor Personæ Synaxin re-
cipere jubeantur. III. In die Nativita-
tis Dominicæ, Paschatis, Ascensionis,
& Pentecostes tanquam dies festi ce-
lebrentnr, & Concionatores textibus
ad hæc festa accommodis utantur. IV.
Confirmatio hoc modo administretur
scilicet, Ministri infantes ad septimum
vel octavum ætatis annum proiectos
doctrina Christiana imbuant, postea
Episcopi Diæcesin visitaturi, eis suam
impertiantur benedictionem, precantes
Deum, ut ipsis suam gratiam, & Spi-
ritus Sancti dona indulgeat. V. Ba-
ptismus ultra proximam diem Domi-
nicam non differatur, urgente autem
necessitate in privatis domibus admi-
nistretur, & proximo Dominico die Ba-
ptismum sic fuisse collatum in Templo
annuntietur. Quartum articulum Rex
duntaxat eo fine urgebat, ut saltem
Episcopi in hac functione partem ali-
quam haberent. Ceterum Ministri in
Scotia congregati, cum Regis consi-
lium

lium facile subolerent, eidem palam Sæc. XVII.
 declarabant, quod ad conservandam A. C. 1617.
 pacem hos articulos quidem acceptare
 haud renuerent, illos tamen Canoni-
 bus inferere haud necessarium foret,
 cum ob eorum novitatem ad stabilien-
 dam perfectam uunionem minus idonei
 essent: Hac repulsa offensus Rex, non
 modo hos articulos, sed ceteros om-
 nes Ecclesiæ Anglicanæ ritus Scotis
 vi obtrudere statuit, ratus, sibi tan-
 quam supremo Ecclesiæ Capiti, Reli-
 gionem, quamcunque voluerit, suis
 subditis præscribendi potestatem com-
 petere: Eapropter hoc anno ipsus in
 Scotiam iter instituit, sparso prius ru-
 more, quod ibidem non quidem Poli-
 ticum aut Ecclesiasticum Regimen im-
 mutare, sed duntaxat quasdam cor-
 ruptelas in Ecclesiam, & Statum ir-
 repentes emendare intendat: Præmi-
 serat quoque ex Anglis Nobilibus non-
 nullos, qui secum icones, & Statuas
 Sanctorum Apostolorum deferebant,
 illisque Regium Edinense Sacellum or-
 nari curabant, quo conspecto Scotti
 plus æquo indignantes exclamabant:
*Icones præcedunt, paulopost Missa seque-
 tur.* Postquam Rex Bervicum perve-
 nerat, Regni comitia prorogari jussit,
 ut ipsus præfens die decima octava Ju-
 nii habita oratione illis initium dare

U u 4 pos-

Sæc. XVII. posset. Exposuit autem inter cetera,
A. C. 1617. quod suus adventus necessarius fuisset
ad illud Regnum, *in quo publice Evangelii professio nisi septem annos ante ipsum natum non obtinuit, quo tempore tot dannis afflita fuit Ecclesia, tot vulneribus confossa, ut non minus vere, quam vulgo de ea dici consueverit, Reformationis prætextu deformationem subiisse*. Postea Rex quosdam nominari petiit, qui cuncta ad Religionem spectantia discuterent, atque emendarent: quinimo horum nominacione haud exspectata, tres sibi addictos ipsius designabat: repugnante autem Senatu Rex in furorem actus, sibi omnino obtemperandum esse edixit, ipsiusque sequentem præscripsit articulum: *quicquid a Rege & Episcopis fuerit sanctum circa externum Ecclesiæ Regimen, id omne pro lege Ecclesiastica habeatur, cui omnes seje submittere teneantur*. His subjunxit Rex: *non equidem prudentum Ministrorum consilia respuo, tolerare autem nequo, ut meo iudicio prævaleat major suffragantium numerus, prout antehac in Cleri comitiis factum est. Episcopi regant Ministros, & Rex regat universos in omnibus, quæ Dei obsequio non repugnant*. Ex his Edinenses ac circumvicini Pastorculi despoticum Regis imperium perspicientes, suæque auctoritatis excidium imminere rati, malo remedium oppo-

opponere statuunt, hancque ob rem Sæc. XVII,
 contra præfatum articulum palam re- A.C. 1617.
 clamant, ac quemdam Ministrum no-
 mine Hevetum ablegant, qui eorum
 querelas Regi scriptotenus traderet:
 Hic anterius Regis cubile ingressus, scri-
 ptum hoc tradere ab Archiepiscopo Sant-
 Andreano rogatur: cum autem hic il-
 lud in suam peram reconderet, mox
 Minister in illum irruens, scriptum ex
 ejus manibus cum tanto impetu ac tu-
 multu extorsit, ut Rex e cubili suo
 profiliens, re comperta Ministrum tam
 asperis redargueret verbis, ut hic ad
 ejus pedes provolutus, petita venia,
 se nunquam huic caussæ ingessurum
 sponderet. Cum nihilominus Rex ad
 sui propositi executionem consensum
 Ministrorum sibi necessarium fore co-
 gnosceret, his omnibus ad diem de-
 cimam Julii convocatis hæc exposuit:
 „Plurimas, quibus me læsistis injurias
 „hucusque dissimulavi, nunc vero edi-
 „cite vestras rationes, ob quas meo man-
 „dato obsistitis: ratione duci paratus
 „sum, si vero justa & pia præcipio,
 „ea mihi denegari, aut resisti non pa-
 „tior. „ Postrema hæc verba Rex tan-
 ta severitate & Majestate pronuntia-
 bat, ut omnes Ministri velut fulmine
 tacti ad ejus pedes corruerent: Rex
 vero hæc addidit, jure naturæ & ex

U u 5 præ-

Sæc. XVII. „prærogativa omnibus Christianis Re-
 A. C. 1617. „gibus concessa Ecclesiæ disciplinam,
 „accedente Episcoporum consilio, ad
 „arbitrium meum dirigendi potestas.
 „mihi competit: attendite igitur, sive
 „eam approbaveritis, sive non, ita erit,
 „uti volo. „ His perceptis Ministri de-
 liberatione inter se habita Regi suppli-
 carunt, ut Synodum, in qua hi arti-
 culi communi suffragio acceptarentur,
 haberi permetteret: Renuit Rex, hæc
 subjungens, num de Synodi assensu ca-
 vere audetis? „& si ea meos articulos
 „sit rejectura, nonne Regia potestate uti
 „compellor, nonne tum vos e vestris
 „suggestibus contra me declamabitis,
 „meque tanquam Tyrannum & Eccle-
 „siæ hostem pro more vestro traducetis?„
 Tum omnes uno ore exclamarunt, ab-
 fit hoc anobis: contrarium tamen, addebat
 Rex, jam expertus sum, quocirca non ce-
 lebrabis Synodum, quam tamen postea
 placatior factus eis indulxit, Simsonium
 vero Prædicantem, qui scriptam repul-
 sam confecerat, carcere, Catherwo-
 dum vero, qui ceteros Ministros ad re-
 clamandum incitabat, exilio plecti
 jussit.

§. CXCIV.

*Quinque articuli in Bertheni conventu
 ab Angliae Ministris acceptati.*

Habe-